



MICHAEL CVROPALATOS, cognomento BANCABE, gener Nicephori, regali diademate à Patriarcha Nicephoro insignitus est. Vir ingenii liberalis, & synceræ fidei, pacis studiosus, pius in Christianam religionem, sed in rebus bellicis fœcior & infelix. Cum Carolo Francorum Rege ita fœdus iniit, vt Veneti suis legibus ac iure viuerent, immunitate his seruata, quam ad eam diem in Italia retinuerant. Contra Bulgaros Thraciam vastantes, expeditionem mouit. Sed seditione in exercitu mota, autore Leone Orientis Duce, qui ad Imperium aspirabat, copiæ eius fugatæ, magnæque ex parte cæsæ sunt, atque leo Imperator designatus. Quo accepto nuntio, ita concidit animo, vt monasterio se abdiderit, habenas regni facilè concedens, post annum IIII. Imperii.

Latus alterum Numi huius repræsensat victoriam dextra crucem tenentem, cum inscriptione: VICTORIA AVG. Infrà: CONOB.

Procopiam Nicephori filiam, postquàm Imperator pronuntiatuſ est, duxit in vxorem, eamq; Augustam coronauit, & filium suum regio diademate insigniuit.



CAROLVS MAGNVS, Pipini Regis Francorum
H 4